

1648 15
15

SEPULTURA

VETERUM.

sive

DE ANTIQVIS RITIBUS SE-
PULCHRALIBUS,

Romanorum, Græcorum,

Judæorum & Christianorum.

DISPUTATIO QUINTA.

Quam
D. O. M. A.

PRÆSIDE

M. JOH. ANDR. QVENSTEDT.

QVEDL. FACULT. PHILOSOPH.

ADJUNCTO,

Publicæ ventilationi submittit,

PAULLUS VVEIERUS

Reg. Prussus.

*Ad diem 26. Augusti horis matutinis,
In Auditorio Philosophorum.*

WITTEBERGÆ

Ex officina Typograph. MICHAELIS Wende /
ANNO MDC XLVIII.

SEPTUAGINTA

VETERUM

DE ANTIQVIVS RITIBVS SE-

Romanorum, Grecorum,

Judeorum & Christianorum.

DISPUTATIO QUINTA

D. O. M. A.

M. JOH. ANDR. OVENSTEDT

OPIDI FACULT. PHILOSOPH.

P. A. H. B. E. R. S. W. H. E. R. N. E.

ANNO MDCXXXIII



CAPUT IIX.

De Loco Sepulturæ.

ET nunc jacet ille noster tumulo suo
compositus, nos verò antequam à fune-
ratione domum eamus, circumspicie-
mus paululum, quo loco consistamus.
Primitus apud Romanos rerum domi-
nos (ab his enim hætenus placuit ordi-
ri) intra urbem humo fuisse coopertos, qui naturæ
concessissent, *Servius* vult, celeberrimus ille *Virgilij*
interpres, ad verba libri XI. *Æneidos* :

*Apud Roma-
nos.*

*Innumeras struxere pyras & corpora partim
Multa virum terra infodiunt, auctaq; partim
Finitimos tollunt in agros, urbiq; remittunt.*

Sic annotans: *Urbis q; remittunt*. Deest unicuique,
inquit, & meminit antiquæ consuetudinis, nam antè
etiam homines in civitate sepeliebantur; quod postea
Duillio Cos. Senatus prohibuit & sanxit ne quis in
Urbe sepeliretur: unde Imperatores & virgines *Vestæ*,
quia legibus non tenerentur, in civitate habent sepul-
chra. Hæc *Servius*. Accedit autoritas *Prudentij* dul-
cissimi Poëtæ libr. I. contra *Symmachum* :

*Et tot templa DEum Roma, quot in urbe sepulchra
Heroum numerare licet, quos fabula manes
Nobilitat, noster populus veneratus adorat.*

Et quidem in suis quemq; ædibus suorum com-
posuisse exuvias, exindeq; lares, quos domesticos
vocant deos, colere cœpisse Romanos plurimi tra-
dunt. Ita enim *Isidorus* lib. XV. *Originum* cap. II.
Præus in domo suâ quisq; sepeliebatur. Et jam ante laudatus

M. 2

Servius,

Servius, domesticos intra parietes terræ mandatos fu-
isse mortuos, unde Larium & penatium religio exti-
terit, autor est in *lib. V. Aeneid.* ad verba, *Præterea si nona
diem.* Idem docet *Alexander ab Alexandro*, qui *lib.
VI. Genial. Dierum cap. 14.* ita inquit: *Sed quum à pris-
mâ origine intra suas quisq; ades defossa cadavera haberent* (de
priscis Romanis loquitur) unde *Lares in singulis adibus co-
lendi religio pervasit.* &c: quod ipsum & *lib: III. cap. 2.* do-
cet. adde *Joan. Meursium* prænobilem Græcæ literatu-
ræ mystam *Exercit. Crit. libr. III.* ubi in hunc modum
loquitur: *Sepulcra Romanos sed & Græcos juxta vias in si-
nibus agrorum habuisse satis constat omnibus. Primitus ta-
men in adibus ea constituebant.* Verum hæc non placent
Kirchmanno, qui omnium in hoc argumento conatus
superavit. Apud Latinos fortean id obtinuisse con-
cedit *lib. II. de Fun. Rom. cap. XX.* non verò in ipsa
Orbis regina ac domina Roma, cum Romæ sub ipsis
urbis incunabulis multò ante latis à Decemviris leges
more quodam receptum fuerit, ut extra urbem sepe-
lirentur vitâ functi, probat id ipsum exemplo *Numæ
secundi & Servii Tullij sexti Romanorum Regis.* Et
quod *P. Valerio Publicolæ & A. Posthumio Tuberto*
virtutis causa sepulcrum in Urbe à Senatu concessum
sit, teste *Cicerone II. de Leg. Quale autem, inquit, bo-
noris argumentum & virtutis fuisset premium, si promiscuè
omnibus in urbe sepeliri licuisset.* Videatur ipse loco cita-
to & *cap. XXVI. ejusdem libri*, ubi objectioni occur-
rit. Quod verò *Servius* ad *lib. XI. Aeneid.* verbis su-
pra adductis asserit; postea *Duellio* Consule senatum
prohibuisse & legasse, ne quis in Urbe sepeliretur, id
non *Duellio* Cos. primùm, qui unà cum *L. Papyrio
Crasso* consularum obtinuit, ut *Livius* *Historiæ Ro-
manæ*

mana princeps testatur lib. VIII. Decad. I. eo loci ubi
Aufonum bellum describit. (circa annum Urbis
CCCCXC) sed multò ante factum est. A Decemviris
enim, ad quos à Coss. quemadmodum ante à Regibus
ad Consules translatum Rom. Imperium, cautum fuit
lege XII. Tabularum, *ne quis in urbe sepeliretur, neve urere-*
tur, teste Ciceron. II. de Leg. Leges verò XII. Tabula-
rum, corpus omnis Romani Juris, docente *Valentino*
Forstero Histor. Jur. Civil. Rom. lib. I. cap. XXIII. n. 1. anno
post Romam conditam trecentesimo juxta A. Gellium
lib. XX. cap. I. vel ut alij scribunt CCCII. compositæ
sunt ac scriptæ. Ipsi imperatores postea leges dede-
runt de non sepeliendis intra Urbis pomeria mortuis.
D. Adrianus rescripto mulctam aureorum quadragin-
ta fisco inferendam decrevit tam in eos qui quem-
piam intra moenia humassent, quam in ipsos Magistra-
tus, qui id passi essent, locumq; publicari & corpus
exhumari transferriq; jussit, *Digestorum lib. XVII. Tit. 12.*
de sepulchro violato §. 5. Divus Adrianus. Intra urbes se-
peliri mortuos vetuisse Antoninum Pium refert Jul.
Capitolinus in vita ejus. Quæ autem ratio, cur cada-
vera in urbibus sepeliri non permitterent? Accipe
causam ex Justiniano codice, titulo de Relig. & sumpt.
fun. l. Mortuorum: *Ne sanctum municipiorum jus pollue-*
retur, vel ne funestarentur sacra civitatis ut inquit Juli-
us Paulus Sententiarum lib. I. sub titulo de Sepulchris
& lugendis. Tum etiam ne cœlum illud urbanum,
undè proximè spiritus duceretur, putrescentium cor-
porum nidore corruptum pestem importaret. Satis
ei rei probandæ est *Isidorus lib. XIV. Orig. cap. XI. Prius*
autem quisq; in domo sua sepeliebatur. Postea vetitum est legi-
bus, ne fœtore ipso corpora viventium contacta inficerentur.

Tholosanus in Syntagm. Juris Universi lib. XXXIII.
cap. 23. n. 8. prohibita domestica sepultura hanc etiam
reddit rationem, *ne licentia illa sepeliendi familiares daret
delinquendi & occisos occultandi occasionem.* Cumbustio-
nem verò in urbe fieri prohibebant propter flammæ
periculum, teste Cicerone lib. II. de LL. Intra ambitum
ergò murorum cujuslibet defuncti corpus humari le-
ges vetabant, quas tamen postea abrogavit *Leo Imp.* &
cujusvis arbitrio permisit, sive extra muros sive intra
civitatem sepelire mortuum vellet, ut ex ejus *Novel.*
LIII. notum est. Extra Urbem verò loca destinata se-
pulchris erant duplicia, privata & publica. Privata e-
rant quæ quisq; in suo horto ac agro sepultura assigna-
rat. Qui fundum viae publicæ proximum habebant,
in eâ potissimum parte sepulcra condebant, quæ viam
spectabat, sive ut iter facientibus innotescerent, sive
ut *prætereuntes admonerent mortui & se fuisse & illos esse mor-
tales* notante *Varrone* diligentissimo antiquitatis inve-
stigatore libro V. de lingua latina. Piè in rem præsen-
tem *Chrysostomus* Serm. de Fide & Lege: *Omnis, inquit,
civitas, omne castellum, ante ingressum habet sepulcra, an-
te portas ante agros sunt sepulcra, ut contendens intrare civi-
tatem, quæ imperat & floret divitiis & potentatu aliisq; digni-
tatibus, priusquam videt, quod secum concipit, videat primum
quod fit.* Hinc solemnes formulæ; quibus Viatores
vel hospites in Epitaphiis solent compellari. SISTE
VIATOR. VIATOR ADSTA. ASPICE VIATOR.
& similes. Exstruebantur ergò ejusmodi monumen-
ta & sepulcra secundum vias militares & publicas &
quidem celebriores, ut *Appiam, Aureliam, Flaminiam,
Latinam* &c: Juxta *Viam Appiam* quam *Statius* *reginam
longarum viarum* appellat, sepultum esse quinto ab Ur-
be la-

55
56

belapide Pomponium Atticum refert Cornel. Nepos. in vita
ejus, Marcum Tullium sexto, teste Georgio Fabricio Chem-
nicensi (viro excellenti ingenio & judicij rectissimi Bar-
thio. Advers. Lib. XLIV. c. 26.) tractatu de Roma cap. XX.
Desiderius Lignamineus Patavinus anno M. D. XLIV. in in-
sula Zacyntho Ciceronis sepulchrum inventum esse
asserit. Rem ipsam narrat Franciscus Fabricius in Historia
Ciceronis sub finem anni ejus ultimi, sed ipse huic rei
fidem non adhibet. Est & Ennij summi Epici poëta
juxta Ciceronem de Opt. Orat. cap. I. in Via Appia sepulchrū
teste Ovidio. & Severi Imper. (qui primus & solus Afri-
cā oriundus ad Imperij Rom. fastigium pervenit) teste
Ael. Spartiano in Antonino Getā. Gallieni Imp. (qui à
Claudio in cœlestium est numerum relatus, vix exe-
quiis dignus judicio aliorum) tradente Sext. Aurelio.
Juxta Aureliam reconditus est Galba Imp. (alieno im-
perio felicior quàm suo, ut scribit Tacitus I. Histor.) do-
cente Suetonio in vita. In Via Latina Domitianus (scele-
ratorum Imperatorum ultima linea, qui ex intolle-
rabili & impudenti arrogantia Dominus & Deus noster
audire voluit,) autore eodem in vita ejus. In via Ostiensi
Divus Paulus, vas electionis ac Gentium Doctor, teste
Prudentio. Monumentum Petri & Pauli in via Ostien-
si suo tempore extitisse dicit Tertullianus in Apologetico &
Eusebius ex Cajo quodam scriptore Ecclesiastico con-
firmat. In Via Lavicana Didius Julianus Imp Juris peri-
tissimus, eruditione melior, quàm animo, sepultus est, ut
in ejus vita scribit Aelius Spartianus. Via Attellana (nar-
rat Leander Albertus Bononiensis in descriptione Ita-
liæ & quidem regionis ejus V. nempe Cāpania p. 268.)
qua Romam euntes in Appiam ducebat, utrinq; tota propemodum habet
sepulcra vetera, majori ex parte integra, qua cellule non inelegantes vi-
dentur

dentur & inhabitari commodè possent. si lignea adderentur fores. Singula in latera pedes continent octonos omnia ferme: sunt tamen aliqua pedum quinum, aliaq; minoris quoquo versum latitudinis. Constant è latere cocto exactà mensurà conformato, & parietes haud externè solum elegantissimè structi cum coronis, verum etiam intus toti nobilissimis coloribus & auro depicti, coronis item affabrè deornati sunt. Intratur ostiolo modico, quod viam spectat, cui ex adversum ipso in pariete quaedam edicula est, media muri crassitudine excavata, fenestra instar, altitudine plerumq; duorum pedum, tota coronis elaborata, supernè vet in angulum acutum vel in fornicem desinens. Ad latus utring; minores sunt speciei pyramidum, ordine tanquam humanae manus digiti paulatim deficientes. In illa maiore patrum familias cum cineribus urna collocabatur, in cæteris matrum - familias & liberorum, pro suo cuiusque gradu. Hæc Italus ille scriptor, & oculatus arbiter, quæ pluscula posui, quia rei huic illustrandæ faciunt. Plura petes ex jam ante laudati Georgij Fabricij Chemnicensis Roma cap. XX. & Kirchmanno de Funer: Rom. lib. II. cap. 23. Propertius tamen poëtâ jucundissimus, maluit in sylvis sepeliri, quàm in agris juxta vias, sic enim lib. III. voti sui summam complexus est.

Di faciant, mea ne terrâ locet ossa frequenti

Quâ facit assiduo tramite vulgus iter.

Post mortem tumuli sic infamantur amantum,

Me tegat arboreâ devia terra comâ.

Aut humet ignotæ cumulus vallatus arena,

Non juyat in mediâ nomen habere viâ.

Publica verò loca, alia inopum destinata erant funeribus, ubi & servi & cætera vilia capita sepeliebantur, dicebanturque *Puticuli*, à puteis fossis, vel quod corpora ibi putrescerent, nomen trahentes. Erat talis locus non procul ab Urbe domina, extra portam Exquilinam, ut autor est Varro vir ætate sua doctissimus lib. IV, de Ling. Latin. dicebaturq; peculiari
nomi-

nomine *Sestertium*. Alia loca publica erant, in quibus eorum locabantur monumenta, qui præclare de Republica meriti. Viris enim celebribus publicè locum sepulchro adsignabant interdum Romani, tanquam singulare virtutis præmium, idq; potissimum in *campo Martio*, loco illustri, *ubi solos reges sepelire mos erat* juxta *Appianum lib. I ἐμΦυλ.* de Sylla ibi sepulto. Cæterum in montibus etiam vel ad montes habuerunt sepulcra. Sic enim *Isidorus lib. XV. cap. 12. Potentes aut sub montibus aut in montibus sepeliebantur.* Afferit & *Georgius Gualterus in Tabulis Siciliae; Monumenta ad montes vetusta passim per Siciliam reperiri, inprimis Pantalica in ditione Cas. Cajetani, ubi præruptis hinc inde collibus ab imo ad eorum fastigia usq; ea excisa. Quæ cum innumera sint, quæ sublimioris, quæ abjectioris sortis mortalium conditoria fuisse autumat.* Illustris locus & clarum vestigium hujus moris est apud *Ambrosium Leonem* in descriptione *Nolæ Urbis Italiae lib. III. cap. 2.* ubi refert; *Ætatem, quæ secuta est illam præscam (quæ extra urbem secundum celebres vias sepulchra extruebant Romani) in excavatis in monte verrucæ cave aliquâ magnis concameratisq; cuniculis, quæ aliquanto tractu semota sint ab urbe, excavasse sepulchra singulis defunctis, quæ sicuti capsæ longâ serie & sibi hærentes ordinatæ, tum in dextro tum in lævo cuniculi latere soloq; calle, qui in medio est cuniculo relictus discriminante structa spectentur. Atq; ita in visceribus montium & terræ factam esse veluti civitatem mortuorum, ubi tanquæ per vicinias, ita per cuniculos iretur. Neapoli (addit) atq; Syracusis ejusmodi mortuorum civitates excavatas etiam nunc est cernere, quanquam neq; tempestate nostra, neq; longis anteactis temporibus quisquam in eis conditus sit.* Hæc ille. Ex hæctenus dictis constat extra urbem sua sepulchra & loculos habuisse Romanos, in quibus cineres suorum conderent, idq; jussu legum. Ubi tamen prætereundum silentio non est, etiam post *latas XII. Tabulas*

N

quos-

Apud Graecos.

quosdam in ipsa Urbe fuisse sepultos, quos legibus solutos virtutis causâ id consecutos fuisse Cicero existimat. II. de Legib. *Quid? qui post XII. in urbe sepulti sunt clari viri? M. Credo, Tite, fuisse aut eos quibus hoc ante legem virtutis causâ tributum est, ut Publicola, ut Tuberto, quod eorum posteri tenuerunt: aut eos, si qui hoc, ut C. Fabricius, virtutis causa soluti legibus consecuti sunt.* Hinc Alexander ab Alexandro lib. III. Genial. dier. cap. 2. *Cineres tamen ejus, inquit, qui triumphasset, aut Imperatoris, qui hostes bello domisset, vel armis rempubl. auxisset, in urbem ferre licebat, quibus hoc honoris causa, ut in foro conderentur, tributum est.* Idem repetit lib. VI. cap. 14. Solum tamen omnium Imperatorum Trajanum intra Urbem in foro sepultum esse tradit *Eutropius libr. VIII.* Morem extra urbem juxta vias sepeliendi pleraque Græcia cum Romanis habebat communem. Athenienses de Solonis instituto nullum in urbe sunt sepulchrum passi, inquit Melchior Junius *Quæstion. Politic. Quæst. CX.* Hinc Marco Marcello quamvis illustri viro à Magio Chilone interfecto locum sepulturae ut darent intra urbem *Servius Sulpitius*, qui Achajæ & reliquis regionibus cum imperio præerat, ab Atheniensibus impetrare non potuit, ut ipse scribit in *Epistol. ad Cicer. lib. IV. Epist. Famil. XII.* quod religione se impediri dicerent: neque antea cuiquam id concessissent. Et ne de Corintho dubites altero Græciæ oculo testis est *Pausanias lib. II.* accedentibus ad eam occurrere in via tumulos, cum alios, tum propè ipsam portam Diogenis Synopenis, quem Canem Græci appellarunt. Idem obtinuisse apud Smyrnæos *Cicero pro Flacco & Syracusanos V. Tuscul.* non obscure tradit. Apud Sicyonios etiam vetus lex humari quenquam intra suos muros vetabat, ut autor est *Plutarchus in Arato.* Scribit

bit Dares Phrygius libro de excidio Trojæ, Priamum
Hectorem filium suum ab Achille occisum, more suo-
rum ante Portas sepeliisse & ludos funebres fecisse.
Plato *Seios* Philosophus lib. XII. de Legibus; non mo-
dò in agris jubet fieri sepulcra, sed agros steriles nul-
liq̄ue alij futuros usui destinat funeribus: ut quæ sine
detrimento vivorum recipit mortuos, ea potissimum
terra compleatur: quæ autem terra fruges ferre, & ut
mater cibos suppeditare possit, eam vetat mortuorum
corporibus occupari. Quidam tamen Græcorum et-
iam intra urbem humabant, quod Spartanorum ex-
emplo manifestum est. Horū enim Legislatoꝝ Lycurgus
mortuos in ipsis Urbibꝯ & propè deorū ædes voluit se-
peliri, ut Laconica juvētus assuesceret non metuere aut
horrere mortem. Ante Lycurgi quidem Leges apud
Lacedæmonios religionis pollutionisque causâ intra
urbem cadavera non fuerunt sepulta. Utrumq̄ue
leges apud *Plutarchum in Lycurgo & Laconicis*. Polybius
lib. VIII. Histor. qui nunc in excerptis legitur, refert,
Tarentinos cum oraculo didicissent, beatiorese sese fo-
re, si cum pluribus habitarent, intra urbem mortuos
suos recondere capisse. Imò Græcos antiquissimos
casco illo ævo in ipsis Deorum templis fanisque vitâ
functos humasse multis ostendit Arnobius lib. VI. ad-
versus Gentes: *Quid? inquit, quod multa ex his templa,*
quæ i solis sunt aureis & sublimibus elata fastigiis auctorum
conscriptionibus comprobatur, contegere cineres atq̄ ossa, &
functorum esse corporum sepulcras. Sæpè in ipso foro aut
medio urbis sepulcri monumento donabant, si cui ho-
norem habitum irent. Sic Cœpio Catonis frater in foro
Aeni, quæ Thraciæ urbs est, funeratoꝝ est, ut sæpè lauda-
toꝝ Plutarchus in Catone Uticensi scriptū reliquit. Plura
N 2 exem-

exēpla vide apud Kirchmannū de Fun. Rom. lib. II. cap. 26. Fallitur ergò & fallit alios *Alphonsus Tostatus* Abulensis in Hispania Episcopus, qui vastos in Scripturas commentarios conscripsit, explanans verba Genes. cap. L. v. 13. *sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulchri ab Ephron Hethæo,* quando ait; signatè dici speluncam illam emptam in jus sepulchri, fuisse in agro & extra civitatem, quia nunquam fuit mos sepeliri corpora mortuorum intra civitates, nisi apud Christianos qui intra civitatē & prope tēpla habēt loca in usū sepeliendi mortuos sacrata, quæ appellant cœmeteriâ. Refutat eum *Bened. Pererius* Comm. ad eundem Gen. locum Disp. IV. *illud non rectè,* inquit, à *Tostato* quod putat ante Christianos nullo tempore nullaq; in gente morem fuisse sepeliendi mortuos intra civitates vivorumq; domicilia. Aegyptii medicata & condita suorum cadavera vel in proprijs sepulchris, vel quibus ea defunt, domi servabant ad firmiorem parietem arca corporis erecta ut scribit *Diodorus Siculus* lib. II. *Bibl. Histor. cap. V.* De Septentrionalibus populis refert *Christianus Cilicius* belli Dithmarsici lib. I. *Erant eorum sepulturae in silvis & agris, tumulosque aggestis lapidibus vestientes muniebant, quod genus complures passim adhuc visuntur, qui gigantum strata vocantur.* De sepulchris juxta publicas & regias vias testem produco *Johann. Adolphum Cypræum* Annalium Eccles. Slesvic. lib. I. cap. 2. *Dani cum pyramides ac obeliscos exstruere non potuerint, (propter defectum artificum) olim in memoriam regum ac Heroum suorum ex terra coacervata, ingentes moles montium instar eminentes statuissent, credibile omninò & probabile est.* Atq; illis adedò in locis plurimùm, quo sæpè homines commearent, aut iter haberent, ut in viis publicis, quo posteritati memoriam clarissimorum virorum consecrarent, & quodammodò immortalitati mandarent.

Apud Aegyptios.

Apud Septentrionales.

rent. Apud Judæos extra civitates in locis à viventi- *Apud Ju-*
um habitaculis separatis mortuorum cadavera fu- *deos.*
isse condita notum esse debet ex Historia Sacra. VI
In regione Gergesenorum occurrebant Servatori
duo damoniaci è monumentis prodeuntes, in quibus
domicilium habebant, sævi valdè adeò ut nequiret
quisquam præterire per viam illam. Matth. VIII. 28. Fi-
lius Viduæ Naimitanæ efferebatur portâ Urbis Nain
numerofo populo funus comitante. Luc. VII. 12. La-
zari sepulchrum fuit extra Bethaniam Joh. XI. Jose-
phus Arimathæus monumentum sibi extra muros Je-
rusalem in horto excidi curaverat *ἐν τῇ πέτρα* in petra.
(Erat enim solum circa Jerusalē saxosum & *ὕψωστος*
h. e. subtus lapidosum, ut appellatur à Strabone.) Matth.
XXVII. 60. Marc. XV. 46. Luc. XXIII. 53. Joh. XIX. 41.
Imò vallis Cedron, qui à posterioribus Judæis vallis
Josaphat cœpit appellari, commune totius Civitatis
Hierosolymitanæ, cui contigua, cœmeterium erat, u-
bi vulgus & ignobiles omnes sepeliebantur, ibique
nunc Turcæ sepeliuntur, ut ex Adrichomio in Jerusa-
lem n. 204. refert *Cornelius à Lapide in XVIII. cap. Joh. v. 1.*
Sepulchretū, inquit *Drusius Prætor*. lib. I. ad c. Matth.
XXVII. v. 7. Ebraicè dicitur *domus sepulchrorū*. Id assigna-
tur cuique urbi, & quidem situm erat extra terminum
ejus. Non enim sepeliebant mortuos suos in termi-
no urbium suarum. Ex libro præceptorum, 206. 3.
Monumenta igitur Judæorum extra urbem. In agris
quandoque sæpè etiam in montibus vel collibus. Pa-
triarcharum Principes Abraham, Isaac ac Jacob in spelū-
ca agri sepultos esse in *Genesi* legimus. Aegyptii Ser-
vatoris Josephi *λείψα* in parte agri Sichemitici com-
posita narrantur in *libro Jesu Nave* XXIV. 32. Josue dux

Hebræorum & Eleazer summo sacerdos filius Aaron in monte Ephraim sunt reconditi, ut dicitur ibidem. Et IV. Regum XXIII. 16. *Reversus Josias vidit sepulchra quæ erant in monte.* Reponerentur defunctorum corpora in speluncis excisis, conditis singulis in separatis foraminibus, quorum octo vel ut alii tredecim cavari solebant, ut essent totidem corporum conditoria. Quale monumentum Josephus incidit in petra seu in spelunca petra. Locus verò ubi sanctissimum Domini corpus positum est, unum erat ex illis octo vel tredecim foraminibus quæ diximus cavari solita in quovis monumento, docete magno *Casubono*, quem vide *Exercit. XVI. num. XCVIII. XCIX. CXXII.* Non desunt interim exempla in Veteris Instrumenti Scriptura, eorum qui intra urbem sunt tumulati. Ramatha urbs sita in monte Sophim, natale solum, domicilium pariter ac sepulchrum præbuit *Samueli* I. Samuel I. & XXV. ossaq; ejus possedit, donec ab Arcadio imperatore in Thraciam transferrentur. David vatum regumque sacrorum maximus in arce Sion, quam ipse de suo nomine civitatem David appellavit, sepultus est III. Reg. II. 10. cujus monumentum adhuc post Christi resurrectionem ostensum fuit. Actor II. 29. Erant autem in monte Sion sepulchra Regum in horto regalis palatii, cujus mentio fit IV. Reg. XXV. 4. & II. Paralip. XXVI. ubi Rex Ozias dicitur sepultus in agro regali sepulchrorum non in ipsis regis sepulchris, eo quòd esset leprofus, ne scilicet contactu suo alia cadavera contaminaret. Hinc Benjamin Tudelensis in libro itinerum suorum, interprete Bened. Aria Montano inquit; *Sunt in Sion monte Davidica familia sepulchra, & regum eorum, qui post David surrexerunt, sed locus ipse ignotus vulgo est.* Venio ad Christianos. Hi communem

Apud Christianos.

munem humanis defunctorum corporibus destina-
tum locum, ut à nomine ordiar, appellabant *νομιλίεον*
cœmeterium, nimirum voce fidei ac pietatis plenâ, resurrectionis vi-
del. spem testificante, declarantēq; DEI omnipotentiam, qui tanta facilita-
te possit mortuos ad vitam revocare, quantâ potest quilibet nostrum ex-
citare dormientem. Ut ait Pererius in cap. L. Gen. v. 13. unde
& Veteribus Hebræis sepulchreta *בית מתים* loca mor-
tuorum, sed *בית חיים* loca vivorum fiducia resurrectionis
vocantur teste Schickardo de Jure Hebr. cap. VI. pag.
169 Cœmeterio autem à dormitione nomen obvenit,
quasi dicas *dormitorium*, quod corpora fidelium ibi re-
quiescant, in sepulchris tanquam in lectulis atque cu-
bilibus suis, *non mortua sed data somno*. Mors Christia-
norum somnus est ac quies, de quâ excitationem spe-
rant & expectant in lætissima illa resurrectionis die.
Puella non mortua est, sed dormit. Matth. IX. 24. Laza-
rus amicus noster *κεκόμηται* dormit, inquit Christus
ὁ σωτήρ Joh. XI. 11. Et postea ut explicet, dicit manifestè,
λάζαρος ἀπέθανε. mortuus est. Et Stephanus princeps
martyr obdormivit. Actor. VII. 60. confer. Dan. XII.
2. I. Thes. IV. 13. Profanis etiam scriptoribus mors per-
petuum somnium & ferreum dicitur, sicut apud Ho-
merum iliade 30. vers. 241.

ὡς ὁ μὲν ἀσθὶ πέσων, κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον.

Statim ut cecidit, dormivit ferreum somnium.

Eodem pertinet illud Catullianum ad Lesbiam:

Nobis cum semel occidit brevis lux,

Nox est perpetua una dormienda.

Non prætereunda hoc loco est absurditas & in Græ-
ca literatura imperitia Durandi, qui libro I. ration. di-
vin. officiorum cap. V. num 4. Cœmeterium dictum pu-
tat

tat à *cimen*, quod est dulce, & sterion, quod est statio,
propterea, quod ibi defunctorum ossa dulciter quies-
cunt. Vel quia ibi sunt cimices, i. e. vermes ultra mo-
dum foetentes. Satis ridiculè istud quidem. Cœme-
teria aliàs dicuntur etiam *πολυάνθεια* à multitudine
sitorum, item sepulchreta vel conditoria à Pe-
tronio, vel etiam conditiva, requietoria, quieto-
ria aliis. Germani pulcherrimo nomine appellant
Gottes-Aker, in quo DEus suam habet sementem ac se-
getem, quam in consummatione seculi & illustri ad-
ventu suo tanquam messi jam maturam demeret & in
cœleste horreum invehet, Zizaniis in ignem missis in-
extinguibilem. Erant autem primitus cœmeteria
specus subterraneæ *extra urbem*, Romæ præsertim. Au-
diamus S. Hieronymum hæc ipsa cœmeteria sapius o-
beuntem, sic enim de seipso scribit in cap. XL. Ezech.
*Dum essem Roma puer, & liberalibus studiis erudirer, solebam
cum ceteris ejusdem ætatis & propositi, diebus Dominicis sepul-
chra Apostolorum & martyrum circumire, crebroq; cryptas in-
gredi, quæ in terrarum profunda defossa ex utraq; parte ingre-
dientium per parietes habent corpora sepulchrorum; & ita ob-
scura sunt omnia, ut propemodum illud Propheticum complea-
tur: Descendant in infernum viventes: & raro de super lumen
admissum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fene-
stram, quàm foramen demissi luminis putes: rursusq; pedeten-
tim acceditur, & cæca nocte circumdatis illud Virgilianum
proponitur: Horror ubique animos, simul ipsa silentia ter-
rent.* Paria leges apud Prudentium de Cœmete-
rio Cyriacæ in agro Verano. Morem hunc anti-
quorum Christianorum condendi cadavera pio-
rum in lateribus tumbarum, cryptarumque are-
nari

52
nariarum, ut vocabant, fornices sustinentibus, ori-
ginem habuisse à Servatoris Mundi *τὸ θεῶν Ἰησοῦ* se-
pulchro existimat *Cardinalis Baronius ad Annum XXXIV.*
n. 134. Sed communem morem sepeliendi Judæorum,
quem & in Christi corpore servatum apparet, nihil e-
jusmodi habuisse, quod cum sepulchris in lateribus
cryptarum comparari possit, ostendit *Casaubonus Ex-*
erc. XVI. num. XCIX. Moris enim judaici fuit, ut to-
ta familia in una spelunca sepeliretur, repositis singu-
lis corporib9 in separatis foraminibus ad id excavatis.
Cryptæ verò jam dictæ Christianorum ex utrâq; parte
ingredientium per parietes habebant corpora sepul-
torum, ut modò Hieronymus testis ocularis refere-
bat. Cæterum cœmeteria ista non tantum condito-
ria mortuis sed & latebras viventibus grassante perse-
cutione præbebant. Unde jam citatus laboriosus An-
nalianum pater Tom. II. Annal. ad Annum. CXXX.
Cœmeteriorum usus, inquit, non modò inserviebat humanis defun-
ctorum corporibus, ex quo & nomen est inditum, sed & persecutionis
tempore ad latebras Christianorum. Mirabile dictu: vidimus sæpiusq;
lustravimus Priscille cœmeterium, haud pridem inventum atq; resossum
via salaria, tertio ab urbe lapid; quod nullo magis proprio vocabulo
dixerimus, præ ejus amplitudine, multisq; atq; diversis ejusdem viis,
quàm subterraneã civitatem &c. In his cryptis à se effossis Chri-
stiani tempore persecutionis stationes synodosq; ha-
bebant suas & sacramenta administrabant, quod mul-
tis docet Onuphrius proprio libello de Cœmeteriis
cap. XI. A tempore verò Constantini Magni, mutatã
Orbis Romani facie, Christiani, qui fugere & latere,
omnesq; malorum ideas perpeti hactenus fuerant co-
acti, eluctati decumanos tempestatum hinc inde in-
gruentium fluctus, & in libertatem vindicati, & tem-
pla

pl
cum

pla sua passim intra urbes habere cœperunt & spatia
quædam juxta templa sepeliendis mortuis destina-
runt, vel prisca illa martyrum dormitoria Ecclesiis pu-
blicis ac sacellis decorarunt, aut etiam nova cœmete-
ria extrâ urbis portas, sed ita ut non longè abessent,
condiderunt, quibus adjunctum interdum templum,
interdum nullum. Abundè, quæ ad *communem se-
pulturæ locum*, dixi. *Rarus* superest, quem pari cura
adtextam. Eratis in ipsis templis. *Augustinus* Hippo-
nensis Præsul jam ante sua tempora sepeliendorum
mortuorum in templis & propè martyrum monumē-
ta usum fuisse docet *Libro de cura pro mortuis cap. IV.*
Quanquam non adeò frequenter primùm ipsis tem-
plis & Basilicis inferebant suorum cineres atq; ossa,
Sed Personæ Sacerdotales & Reges Basilicarumq; con-
ditores tantū intra templorū parietes recipiebantur.
Sic *Ambrosius* Mediolanensium Episcopus in Basilica à se
erecta sibi sepulchrum elegit. Vide *Serm. LXXVII.* inter
Ambrosianos. *Constantinū Magnū* Constantinopoli in
vestibulo templi Apostolorum sepultū scribit *Chryso-
stomus Homil. XXVI.* in Epist. 2. ad Cor. *Honorius Imp. Ro-
mæ* in Templo S. Petri humatus legitur, taceo alios. A-
licubi ipsi quoque proceres & principes viri in capel-
lis & in muro Ecclesiæ, non intra Ecclesiam humaban-
tur, ut in multis Basilicis Hispaniæ observatum est teste
Garsia Laoisa Hispaniensium Conciliorum editore in cap. 18.
Concil. Bracarensis I. Queruntur eruditi, inquit *Christo-
phorus Brovverus Jesuita in Vita S. Ludgeri in fine lib. 2.* Sacro-
sancta terrarum sola, quæ par sit nitere munditiæ & pu-
ritate, per vilium capitum funera, quæ se in adyta
quoque templorum insinuant, quodammodò infu-
scari, & ex sacrariis fieri, *πολυάνθεια* & busta mortuaria.
Cum

Cum autem nos hic inferendi templis cadavera adeo,
vulgò etiam invaluisse, aliquoties legibus coercen-
dus fuit. Sic enim Gratianus, Valentinianus & Theo-
dosius Imp. in templo aliquem sepeliri vetuerunt le-
ge, quæ extat in lib. I. Codicis Justiniani, tit. II. De sa-
cro sanctis Ecclesiis; *Nemo Apostolorum vel Martyrum se-
dem humanis corporibus existimet esse concessam.* In primo
Concilio Bracarensi cap. XXXVI. sancitum est, *ne corpo-
ra defunctorum intra Basilicas sanctorum tumultentur, sed fiant
omnes sepultura extra civitatem,* vel etiam, *si necesse sit, de-
foris, circum murum Basilicæ.* ibid. cap. XVIII. Mandavit &
Carolus M. lib. I. Capitularium, ut *nullus deinceps in Ec-
clesiam mortuum sepeliat.* Conferantur Theodulphi Epi-
scopi Aurelianensis Epistola ad Fratres & Compresby-
teros suos, veterumque quorundam Conciliorum
hac de re decreta, quæ legi possunt apud Gretzerum
lib. II. de Fun. Christ. cap. VIII. Haud tamen diu hoc
unquam servatum est. Consulere Lector potest Onu-
phrium libell. de Ritu sepeliendi mortuos, ubi textit
Catalogum Imperatorum, Regum, Principum, Pontifi-
cum, Episcoporum, aliisque dignitatibus conspicuo-
rum hominum, qui vel ad limina vel in porticibus Ec-
clesiarum vel in ipsis Ecclesiis humati sunt, & passim
in vetustissimis templis literati id testantur lapides. O-
biter addo, Reges ac Principes plerosque in certis locis
sua habere monumenta & Sepulchra: *Gallia Reges in* S. Denis
cœnobio Dionysiano : *Anglia,* ad Londinum totius
Angliæ epitomen in templo Westmonasteriensi, quod
Heinrici VII. sacrario maximè celebre est. *Scotia,* Bur-
sæ. *Danorum Reges* Barsholmiæ & Roeschildiæ. (Hæc
inter alias, *Christiani III.* exuvias conservat, qui sancti
Regis

* marchiones Dado = dur-
lacenses, Pforceny

Regis nomen promeruit & primus apud Danos resan-
scantis Ecclesiæ parens Sacra Biblia in patrium sermo-
nem transferri typisque divulgari curavit Anno
CICCCCCXLIX. Situs ibi & *Sueno* Rex ejus nominis
I. qui totam Angliam Anno MCC. subegit.) *Polonia Re-*
ges Cracoviæ. Electores Saxonie Freibergæ. Palatini, Hey-
delbergæ. Brandenburgici, Berlini. Duces Austriaci, Vi-
ennæ. Principes Wirtebergici, Tubingæ. Megapolita-
ni Suerini. Pomerani, Wolgasti. Holfati Slesvici. &c.
Vide Melchiorem Junium quæstion. Polit. CIX. Locum
Sepultura Imperatoria certum non reperiri scribit *Limæ-*
us libr. II. de Jure Publico cap. XII. in fine. Et res ipsa do-
cet. Aquisgrani enim Carolus Magnus tumulatus est.
Henricus Auceps, qui de Saxonum gente primus im-
peravit, *Quedlinburgi*, quæ mihi patria est, funera-
tus est. Lotharij II. Saxonis monumentum in mona-
sterio ducatus *Brunsvicensis*, quod ab ipso nomen ha-
bet, visitur. *Spira Nemetum.*

— *Sex Cesaribus tribuit commune sepulchrum,*
Francorum summi quos genuere Duces.

Praga totius *Bojohæmiæ* compendium & urbium
regina *Caroli IV. Ferdinandi I. Maximiliani*
II. ossa tegit & conservat. alij alibi
fita sunt.


ULB Halle
002 684 632


3



Vd 17







B.I.G.

Farbkarte #13

1648

15

15

PULTURA

VETERUM.

five

ANTIQUIS RITIBUS SEPULCHRALIBUS,

eorum, Græcorum,

um & Christianorum:

DISPUTATIO QUINTA.

Quam

D. O. M. A.

PRÆSIDE

ANDR. QVENSTEDT.

L. FACULT. PHILOSOPH.

ADJUNCTO,

Publicæ ventilationi submittit,

ULUS VVEIERUS

Reg. Prussus.

Ad diem 26. Augusti horis matutinis,

In Auditorio Philosophorum.



WITTEBERGÆ

icina Typograph. MICHAELIS Wende /

ANNO MDC XLVIII.